

## CHORUS I.

### ACHABO REGI, PER JEZABELEM VINEAM INNOCENTIS NABOTH INIQUÉ OCCUPANTI,

*Personæ, Achab, Rex Israelis. Jezabel Regina. Ochōzias, Filius natu Major. Joram, Filius natu Minor. Chorus Aulicorum, & Satellitum.*

## CHORUS.

Vive, regna, Israelis  
Rex! & conjux Jézabelis!  
Victor! vince, supera;  
Luci Baal! resonate,  
Victi terga Syri! date,  
Plausus da, Samaria!  
Tam clarum Regni vindicem  
Tam æquum, justum Principem,  
Ter dignum hæc coronâ,  
Baal! diu nobis dona:  
Sic omnis optat Israel,  
Sic terra Jezrahel!



*Joram. Silete, tacete, O chari Satrapæ! Et corporis Regii custodiæ!  
linguis favete, importunos in luctu streperæ laudis sonos arcete! .. Rex Pa-  
ter! (ita Mater!) Projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad ; Reg. 21  
K parie- y. 42*

*patrietem, & non couedit panem: . . . Blanditiis agam jussus, & precibus;  
per vos mox pateat aditus! . . . Da veniam, Auguste Genitor! ad te quod  
fidentius (& forsitan intempestivius) ingredior: Reginæ Matri� huc me ur-  
gent imperia, per me supplicis, ut ne haec respuas obsonia: -- Eheu! - an  
renuis? nec te mihi, Benjamino, Natorum minimo, tuo, ni fallor, corcu-  
lo, præbes facilem? quid peccavi? -- cur avertis faciem? O me miserum!  
miserrimum! quid sibi hic luctus? hoc silentium?  
Ah! . . .*

## ARIA.

1.

**S**i quid adhuc potest Mater,  
Nec Amantem despicias;  
Si quis restat corde Pater,  
Ah! si Natos diligis:  
Qui te Regem veneratur,  
Si est cura populi:  
Mites Nato, dum precatur,  
Aures præbe supplici.

2.

Pone, ah! dolori metam,  
Animum exhilara;  
Et resume frontem latam,  
Gusta vel haec modica: . . .  
Ergo' tibi fixum mori?  
Quid n̄, Pater! audis me?  
Nullus finis an dolori?  
Ipsus sic occides te?

3.

Elige sed, Pater! mortem,  
Interire elige!  
Antequam hanc subis sortem,  
Tuos tamen respice!  
Cadet conjux, cadent Nati,  
Regnum tecum corruet:  
Comites hos sui fati  
Rex, & Pater rapiet.

*Achab: Absiste... Morior, Fili dilectissime! sat enim verbis nequeo Pa-  
rens exprimere, quot, quantis, quam decumanis fluctibus hic fluctuet, spu-  
met, æstuet animus!*

## ARIA.

1.

Jam lugeo, jam ingemo;  
Nunc langueo, nunc infremo:  
.. Ah! Vinea, . . .  
Quæ situ amoenissimo,  
Quæ nectare suavissimo

2.

Sed quis adire vineam,  
Quis vetat, ne possideam?  
Hanc cedere  
Hanc Naboth negat ferreus,  
Hanc Regi negat subditus;  
Prae

Præ cunctis placuit;  
 Hæc Pectora  
 Mærore acerbissimo,  
 Et felle amarissimo,  
 Quousque imbuīt?  
 Hoc careo  
 Hoc maximo,  
 Hoc unico  
 Delicio?  
 Nec lugeam?  
 Non ingemam?

An non succenseam?  
 Hanc vendere  
 Oblato licet Maximo  
 Recusat crudus pretio;  
 Vah pervicaciam!  
 Hunc Barbarum,  
 Hunc Hispidum,  
 Hunc lividum,  
 Nefarium  
 Qui perferam?  
 Nec infremam?

*Jor.* Spinosas curas, Dilecte Genitor! irásque tumentes ponito, dum  
 tuo Regina Mater velificatur solatio. *Acb.* Ah! timeo, ne Parens Regia  
 frustra laboret in mea vota, & commoda! *Jor.*... Sed en! Ochozias Frater!  
 Serena cum fronte hunc animum, Pater! *Acb.* Quem? unde? O charum  
 Pignus! affers nuntium? *Ochoz.* nuntium optatum, optatissimum, quem ti-  
 bi, Auguste Rex, & Pater! per me Regia mittit Mater.

## ARIA.

**E**i.  
 Xhilara mentem  
 Mærentem,  
 In risus cor explicet se:  
 Proscriptibito duras  
 tot curas;  
 Hæc nuntiat illa per me:

**2.**  
 Dolorum est meta  
 impleta,  
 Et loco stant optimo res:  
 Quam unam optasti,  
 amasti,  
 Jam Dominus Vineæ es.

*Acb.* Respiro: O nova, novissima, ter prospera, jueundissima! sed unde  
 hæc mihi? *Ochoz.* Cuncta debentur Matris tam amantis, tam cui observan-  
 tis, Consiliis. *Acb.* Hæc igitur pande. *Ochoz.* Pareo imperiis: *Scriptis*  
*litteras ex nomine Achab,* & signavit eas annulo tuo, pro affectu erga te  
 suo, misitque ad majores natu, & optimates, qui cum potestate sunt in ci-  
 vitate, & habitant cum Naboth Jezrahelita. *Acb.* Ah! num est ita?...  
*litterarum autem quæ erat sententia?* *Ochoz.* Scriptis sequentia: *Naboth in-*  
*ter Primos populi sedere facite, & duos viros Belial contra eum (tanquam*  
*reum) submittite; & falsum dicant testimonium: Benedixit Regem, & De-*  
*um Dominum!* & educite eum, & lapidate; vitæ indignissimum, quin mil-  
 le mortes promeritum offendâ Regis Majestate. *Acb.* Placet foeminæ inge-  
 nium, quoddque suscepit occupandæ Vineæ consilium. *Ochoz.* Modò in mo-  
 menta exspectat nuntiū, rei benè gestæ, & confessæ bajulum. *Joram.*  
 Ergo jam nunc ego Patri, Regi, ac Domino Vineam Naboth animitus gra-  
 tular.

15. tular. *Ach.* ... Fallor! an ipsam Jezabelem, Reginam Matrem, intuor?  
Jez. Vive Rex! *Surge, & posside vineam Naboth Jezebelitæ, qui noluit*  
*tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia,* cui obediunt omnia: *Ach.*  
.cod. Reviviscere, ô mea! me sentio; nova mihi credit vita tam fausto nuntio. *Jez.*  
Dixi: Rex conjux! surge, & posside vineam; *non enim vivit, sed lapidatus,*  
*sed vivus tumulatus Naboth, sed mortuus est.*

## ARIA.

1.

**M**ajestas quod efficere  
Non valet Regia,  
Hoc possum Fœmina:  
    Nunc rideo,  
    Nunc doleo;  
    Jam amo fingere,  
    Jam novi ludere:  
    Blanditiis,  
    Aut furiis  
Assuevi vincere!

2.

Nabothi vah! audaciam! ...  
In Rege maximo,  
Marito optimo,  
    Offendere  
    Non timet me? ...  
Sed sensit rigidam  
Hanc vecors dexteram!  
    Jam cecidit,  
    Jam periit, ...  
Nunc neget Vineam!

*Ach.* O quantum me beas? *Jez.* igitur moras abrumpimus. *Oboz.* & *For-*  
*ram.* in vineam ram amatam, suspiraram pergiumus. *Omnes.* irruimus.



## CHORUS II.

AB ELIA VIDENTE TRAGICUS,  
DENUNTIATUR INTERITUS. 3. Reg. 21.

Personæ Piores. *Elias.* Chorus Aulicorum.

## CHORUS AULICORUM.

I.

**R**ex! vive, felix fruere  
Hoc colle, botris divite;  
Quot ille germina,  
Quot profert folia,

Quot

Quot vere trudit gemmulas,  
Autumno quot dat uvulas,  
Tot tibi sœcula  
Precamur,  
Ominamur  
Ter lœta, aurea.

2.

Imperii Oceanus,  
Sit cœlum famæ terminus!  
Te cives diligent!  
Te hostes metuant!  
Fortuna tuo prospера,  
Et comes individua  
Affusat lateri;  
Rex Dive!  
Felix vive,  
Et vivent subditi.

*Ocboz.* Amare Regem, vindicare, fideles subditi! optimates optimi! sic porro pergit. Tu verò, ô Genitor Auree! tranquillè jam possidē has tuas delicias, tot votis exoptatissimas. *Zoram.* Sic velint superi! *Och.* & *Zoram.* sic optant Filii! *Jez.* Gratulor & ego per me, per ora tuorum, O Rex! subditorum, Filiorum, hanc tibi vineam, tot titulis debitam. *Ach.* ô jam ter beatum me, in hac sola impleta spe!

## ARIA.

1.

CEu cruda vulnera,  
Non raro medica.  
Vis herbæ relevat;  
Sic novam animo,  
Dolore faucio,  
Hæc vitis vitam dat;

*Jez.* O quam tibi sincerè gaudeo, Conjux Regie! de tam liquido, quod præfers, solatio. *Ocboz.*

2.

Mens gestit hilaris,  
Exultat jubilis,  
Triumphat, exsilit:  
Est mea vinea,  
Ah! una, unica,  
Quæ cor hoc afficit!

## ARIETTA.

O Mater optima!  
Tu nobis vivum, sospitem,  
Incoludem

Parentem præstas optimum,

Dulcissimum;

Hinc manus hujus debita

Hæc cape oscula.

Acb. At tibi, ô mea! Quas grates referam? quas non Achab Jezabeli debo? hanc aurem gratus utramque præbeo: dic, jube: pro gratia tam rara quid rependam? ô chara!

## ARIA DUETTA.

1.

Acb. Quas grates tibi debo?  
Jez. Ah! gratiæ sat habeo,

Si Regi placeo:

Acb. Regina! Regi placidam  
Tu sola donas vineam:

Jez. Rex habe tibi placidam  
Pro tuo jure vineam;

Acb. Quid reddam pro hoc munere?

Jez. Quod tuum est, sic recipe,  
Ac diu fruere!

Acb. O quantum beas me?

Jez. Sic cœlum amet te!

\*Jor. ... Verum quid hoc? Prô superi! Ochoz: Quæ cimmeriæ repente lumen obnubunt tenebræ? Jez... Prô! quâm ego rursus tirsutam aulæ pestem coram aspicio? Ach. Quæ me diri mactat vaticinii suspicio? Quid tuus, va-tes importunissime! adventus hoc rursum sibi? Num invenisti me inimicum tibi? Eli. inveni; ed quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu ultionum Domini, omnisciæ rerum arbitri; sic ille per me, Rex! & Regina! ad te: Ecce ego inducam super te malum, & dabo domum tuam sicut domum Jeroboam... & sicut domum Baasa; quia egisti, ut me ad iracundiam provocares; innocentem Naboth omnium manibus lapidares: sed audi Rex clariū, & sine ambagibus, vindicis quam DEI Nemesis in te fulminet senten-  
tiam, justam, justissimam.

2.

Acb. Languentem sola erigis:

Jez. Amantem vineis præmis (Ah! non promeritis)

Acb. Hic favor à te Conjuge  
me mihi eripit,

Jez. Molita sum pro Conjuge,  
Quod fides exigit;

Acb. Amorem habe mutuum,

Jez. In vicem hunc do animum:  
Rex! ama! impera!

Acb. Hæc Regis pectora,

Jez. Hæc rege pectora!

Ochoz: Quæ cimmeriæ repente lu-

## ARIA.

1.

Sententia est lata,  
à DEO exarata

Nabothi sanguine;

Hanc percipe!

2.

Te dira manent fata,

Jam tuis destinata

Es præda Hostibus,

Et canibus;

Achabi

Achabi stirpem regiam  
Crudelem, feram, impiam  
Plester, perdere,  
Sternere, tollere,  
Evertere,  
Evellere  
Decernit Dominus!

Hi tuum lингent, sanguinem! ...  
En! Jezabelem Conjugem  
Avidi, rabidi  
Laniant, devorant,  
Exanimant,  
Eviscerant:  
Hic vester exitus!

3.

Huc oculos! En! nato  
Fatalis super strato,  
Quod sceptrum arripit,  
Mors adimit!  
Vassalli ultrix dextera  
In hac exscindit Vinea  
Surculum ultimum,  
Improbum, impium,  
Fœdifragum,  
Sacrilegum;  
Stirps Achab periit!

Ita est. *Canes comedent Jezabel in agro Jezrabel: Si mortuus fuerit v. 23: Acbab in civitate, canes comedent eum, sin autem... in agro, volucres & 24: cæli Nabothum ulciscuntur, & DEUM. Acb. Eheu! me miserum! miser- rimus! Devotum Numini Terribili Sacrificium:- O vinea! vinea! nimium amara, & tragicorum mihi ferax malorum!.. Peccavi: Ocoz. Facesse larva tandem feralis! Jor. Præco fatalis! Jez. quin, Rex! malè faustum bubonera fugimus! Jor. & Acb. fugimus! El. fugite, non effugitis! breves sunt plan- tæ injustitiæ pedibus!.... Vos autem mortales! rerum Potentes, vel abun- dantes hujus sæculi, discite suum cuique dare, ad justum pondus sanctuarii ponderare omnia, mensurare, judicare!*

*ARIETIA*


PUpilli, Hospitis,  
Viduæ, Pauperis  
Vindex acerrimus  
Ipse est Dominus;  
Ab horum bonis te noli ditare,  
In horum vineis,  
Sudore, lacrymis,  
In horum sanguine ne helluare;

Nam

Nam est terribilis  
Vox isthæ sanguinis!

Dixi, & repeto: vœ à supremo Judice iniquo Principi, iniquæ curiæ: vœ!  
vœ! vœ! præsertim iniquo Judici à Manu Domini, eheu! terribili.

Omnia  
Ad majorem DEI Gloriam.



Univ. Bibl.  
München